


Przez  
wszy,  
Wedel-  
Turzyń-  
sz  
Dr  
czevitz


Z KSIĘGOZBIORU



S MARIANA  
SWINARSKIEGO

Klucze





A S C I A  
P E R V E T V S T Æ D O M V S  
S M O S Z E W I O R V M

Horarij Rota per Virginem

JLLVSTRISSIMÆ D O M V S

T V C Z Y N I O R V M  
F A S C I A T A.

S E V

C O N I V G A L I S N E X V S

JLLVSTRIS AC MAGNIFICI D O M I N I ,

D . S T A N I S L A I  
D E S M O S Z E W O  
S M O S Z E W S K I

Castellani Santecensis Filij,

C U M I L L V S T R I V I R G I N E ,

C A T H A R I N A

à W E D E L

T V C Z Y N S K A

Succamerarij Inowłoslauiensis Filia.

Auspice pennâ acclamante,

JOANNE CASIMIRO STECZEWICZ Presbt: S. Theolog:  
in Colleg: Posnanie: PP. Soc: IESV Auditore:

Vtriusq; Domus Deuotissimo

C L I E N T E.


Anno Desponsati Orbis 1653. Die 23. Februarij.

POSNANIÆ, In Officina Vitæ & Heredum ALBERTI REGVL.

JN GENTILITIA VTRIVSQ; DOMVS  
J N S I G N I A.

Vtrumq; Rubiginis expers,

Non feritate riget



Mobilitate viget

Quia longo splendescit ab vſu.

Ferrum, non ferrum, Sic iuncta nec arma fatebor.

Hoc secat, hoc melius dissecat absq; manu.

Temporis est primum, verum aui glossa secundum.

Vnā coniunctum, ſacra beata fouet.

Hoc oras varias, illud percurrit in Horas

Vtrumuis numerat que ſibi parta refert.

Non feriunt & non clangunt niſi preſſa moleſtē

Ambo ferre dolos ambo dolando ſciunt.

Virgo ſunt ambo, terrā cum Virgine nata,

Virgine, fidereis digna perinde polis

Quām bene Cyclopum, Enceladum, Clarosq; Gygantum.

Encaustes fastus vincit ad arma Lechi.

# A S C I A

## QVID. QVALIS. QVANTI.

### E T Q V O V S Q; S I T.

#### S I C F A S C I A T A.

**D**N breui multūm fasciatam, dicturus Asciam Tuam, Saturnia appello regna **ILLVSTRIS** & **MAGNIFICE DOMINE**, quia ferrea ut potē hodie Encaustæ Sarmatici, hanc dicere non permittunt. Ea est, quæ Cælesti Pneumate per occultiora vitæ spiramenta, de inferioribus Orbis anfractibus, virgine aio terrā, in sublimiora cuecta, sidereis dotata laureis, ibidem iam pridem potitura folio, nisi solum sibi multūm perutilem, vt indigenā, tantillum eò usq; retinuisse. Et Certè, Auri felix assecla, futura aureis quandoq; accolta Climatibus, eò quò semel tendere edocta, ab ipsis amplissimi sui statutus primordijs, nō potest nō feliciori cōtendere pas- su. Ferream in ipso aditu putaui: ergo Diuinioris Alcidis magneticam poposci facundiam, vt eā suffultus, rudiori ingenio, & tenui satis eloquio, mitigationem & promptiorem reciperem. Sed ecce spem vltrà meam, ea est, quam nulla dicendi facultas, nullum flumen ingenij, non dico comprehendere dicendo, sed ne percensere cogitando, satis dignè ac par esse possit pro viribus audeat. Insigne Domus **LECHI** est. Illius inquam Domus (si quid Patriæ laus **Gnatis Carissimis** indit) quæ metallico etsi ex opacis calle profecta, adeò eluxit, vt facile quasq; ab æuo **ILLVSTRISSIMAS** ceu inuisas suo excæcarit nitore Cæcumas. Pharos omnium etiam in ipsis tenerioribus cunabulis stetit. Cum felicioris audi fortunæ

Dynastæ undequaque ad eam sua appellerent nauigia. Palæstram vtriusq; Palladis, immò Artis & Martis dicere, & docere non erubescerem, si per breuem hoc loco paginam, & temporis intercapelinē concederetur; & si non eximiæ sobolis sed inclytæ Parentis assumerein materiem. Aureo mihi adnotant calculo tot Barbaræ Gentes, dum eam strenuæ fortitudinis heredem toties quoties legerunt, audierunt, viderunt, anhelo spiritu exhorruerunt. Huius insigne decus Ascia Tua, ut Patriam sic vitam immortalis trophœo dignam sortita. Ad sacrosanctum Murum Christianitatis, Clypeus erectus fortitudinis. Ad Asylum Pietatis, Anchora Gloriæ. Ad omnis Pretij Gazophylacium Inestimabilis ET LUCE ET CANDORE Vnio Ponti. Haud potuit melius exuberare, & nitidius virescere ad prima Cunabula tellus Sarmatiæ. Haud potuit cum Primo Parente cariora producere pignora, quam ferrum illud, quo & sua incolumentas, & subditorum quies, & reipublicæ salus, & omnium vita fortissime septa propagaretur. Nō potuit ut nec debuit alio metallo splendidius clucescere, quam eo quod cuiq; commodissimum arbitraretur. Quid velim adapertum puto. Ascia Tua Basis pietatis, Fundamentum virtutis, Scutum Diuinæ gloriæ, Propugnaculum Patriæ, Murus Aheneus Poloniæ, Propagatrix Iustitiæ, Radix Sanctimoniiæ, Amcisus scelerum, Excidium vitiorum, Terror hostium, Structor sacrarum ædium, Custos Ararum, Observatrix Pænatum, Monstrorum Domitor. Sarmatiæ Coætaneus auctor, Immortalis nominis & gloriæ vera Inuentrix. Videre est quæ posuerit primordia sub LECHO. Quot Idolorum Lucos succederit sub MECISLAO, Quot Monstra domuerit sub LAGIELLONE, Quot aras exerit sub BATHORTIO, quot errores pampillauerit sub SIGISMUNDVNO. Quot Hæreses profligauerit, Hostes fuderit

*sic qui-  
dam di-  
xere Po-  
loniam.*

derit, Propugnacula erexerit, sub VLADISLAO  
Quām fortiter dimicauerit sub CASIMIRO, &  
Celebratum quām in summum apicem etiam apud  
exterorū temporibus nostris, Ciuis maiestate Poloni  
nomen deduxerit. BIELSCIJ Clarissimi rata vota lo-  
quor. Qui LECHI Comitem, vnius ē duodecim Re-  
gni Proceribus Clarum aposphragisma, summum  
tum Patriæ decus ASCIAM edocet. Nobilitatis nun-  
quam non laudanda fero encomia, cui Peruetusta  
quidquid virtutis adminiculo habere potuerit, natī  
uā lingua plus quām Apollineo dicitur oraculo. La-  
tē patent quām altē Patriæ fines propagarit, Regum  
Poloniæ sedem adauxerit, filios, nepotes, Athletas,  
ILLVSTRISSIMOS sibi adoptarit: quām Mæcenates, Tu-  
tores custodes, Amicos, suæ fortunæ, conciliauerit.  
Quid aio? immò vberius loquar, dictu difficile quām  
plurimi Mæcenates, Tutores, custodes, Amici ex-  
quisierint, & velut peruetustæ immortalitatis insi-  
gne Cereis suis medium inter ad postes posteris ap-  
posuerint: Quid? nisi solidū & perenne omnis decoris  
& nitoris, gloriæq; mausoleū. Hic loquerer si Anna-  
lium paginas contexerē ZGORKOVIOS, CZARNKOVIOS,  
ZEBRZYDOVIOS, TEČZYNIOS, OSSOLINIOS, KALINSCIOS  
& mille Maiorū ILLVSTRISSIMORVM ad ASCIAM vincu-  
lo immortalitatis Consistentium vitas. Hic Palati-  
nos, Castellanos, Capitaneos, Equites, Duces, For-  
tesq; Heroës Laureā adnotarem pennā. Sed nimius  
hic esse nolo & si in pupilla veræ veritatis, ne blan-  
dæ adulatioñis, vel alicuius in gratiam nouæ pro-  
mulſidis, quæ à sacra abolla vt aliena sic semper e-  
xul, videar esse fautor. Dico breuius quām res tan-  
ta dici possit. Quisquis aliquando Patrum Patriæ  
Clarissimum inuisebat cætum, Catonica Vota deci-  
dentem. Quisquis Concordes Nobilitatis Confes-

sus vnam è cunctis libertatem Patriæ multum propagantem inspiciebat. Quis quis Equestrem ordinem Martios properantem in campos animaduertebat, oculos diligentius in aciem flectebat Antesignanam Herculis clauam opinabatur. Ad Iudiciorum sacrosancta subsellia, Iustitiae assecla, Ad officia & castralia munia, In Liberos subditos regimina, fasces Romuleæ sedis fulgere putabantur. Nouerat hæc semper consilio iuuare, Iudicio discernere, viribus persequi, Clementiam prodesse, humanitate allicere, concordiam fouere, & tandem ferreæ ut ita loquar æternum perennaturæ studio Constantiæ omnia disponere. Verum nec hodierna conqueror tempora, quibus Ascia hinc paucis ante regnare visa, quam sapientiam prudentiam, ingenij maturitate, graui consilio. Nec modo consopita rubiginatur. Vis senatui prudentem? Equitibus expeditum? Nobilitati ingenuum? Legationibus strenuum? sub Ascia & cum Ascia quærito virum. Vis in rebus versatum? in Publico consilio eruditum? in Patriæ tuenda salute Zelozum, sub Ascia & cum Ascia inspice Catonem. Sed hæc non meum, cuius est precum satius quam Heroum perpendere Annales, scrutari. Verbo rem complectar. In Te ipso ILLVSTRIS AC MAGNIFICE DOMINE tantum eluxit, ut non immerito & Latij fasces, & Austriae Pænates ei submississimum summo cum applausu dederint poplitem, Hoc. Hoc. vt.

*Æthereo fumauit de sidere. Sic*

*Nec sealec falsa te sum rubigine ferrum.*

Vbi verò ad hæc cælesti Numinis approbata Christia, Horarij eam ingredi video Rotam, & Virgineo, velut in omnis fortunæ thalamo, iungi confortio, Patheticus esse, & nouum illud Lucij Emilij ingredi pathos inuitus debedo. Ferunt hunc cum beatam illam Elegi Louis imaginem vidisset, diu attonito similem hæfisse,

hæfisse, tandemq; in eas voces prorupisse. Papæ: so-  
lus Phydæ Jupiter Homerici Iouis maiestatem com-  
plexus est. Eheu! Parcite, parcite, ILLVSTRISSIMI Sar-  
matæ, non derogare Diuino planè oraculo satis ve-  
stris pignoribus, sed animi tantillum erogare volo  
ut meis patiamini inesse votis. Verum fabellis Epi-  
mithion addo. Quæ Iouis Homerici maiestas, vt di-  
uinum quid spirare aduerteretur? ea sanè quæ in cæ-  
no Gentilitatis fôrdidiūs enutrita figmentis vetusta-  
tem satiūs excæcarit, quām radio vel vnicō probi  
coloris illuminarit. Non eam aio complexam ASCR-  
AM SMOSZEVI ORVM, sed ingenitam metallico sibi  
splendore. Maiestuosam rotam illam volo, quæ &  
Romana mensa subsellia, & fortissima aggressa Capit-  
tolia, & munitissima peragrata regna, quor horas,  
tot trophæa ouanti decidens incisura. Illam volo  
quæ Romuleos Lares suos dinumorare edocuit cur-  
sus, admirari voluit motus, suspicere contendit co-  
natus. Illam insuper volo quæ cælesti semel instru-  
cta volubilitate adeò felici passu suas ingressa peri-  
ochas, vt etiam vnum è primis custodibus cæli suo  
allectum indiderit centro, & satis cæli ante sustinen-  
tem æstus fulgore nunc suo perstrictum diuiniori  
contexerit mitrâ. O Beatum consortium cælone an-  
terræ æquius Epinicion canendum, sanè huic quia  
illud, sociali inuidentia pressum terrenos concipi-  
uit cursus. Dum ego hic rotam aio, septem Sapient-  
um inquirō eandem, & egenus Superos per ipsos  
Diuiniorem emendico stipem, vt sua promant en-  
comia, & hanc æquiūs dicant, orbi dicaturi. Vide-  
rat quidem eam tot ante Nestoreos soles. Verum  
inuidiori lumine, incolis suis pretium valoremq;  
eius propallare nequibat, virginem duntaxat in-  
termediam, huic indigitans iconem clamitabat.  
**QUI POTEST CAPERE CAPIAT.** Quid? Pietatis cursum. Vir-  
tutum

tutum carpentum, Strenuitatis plastrum, Fortunæ  
stabilioris rhedam, Orbis perfectioris ideam, omnis  
deniq; dotis ditoris Rotam, de tot ouantem & Tri-  
umphantem subiectis hostibus; virginem auspica-  
bili diademate cinctam. *QVI POTEST CAPERE CAPIAT.*  
Ethicam semper omnis gloriæ inspiciebat imagi-  
nem idcirco velut spirantia signa demississimo po-  
plite, enarrare impos venerabatur & verebatur in-  
digitando *QVI POTEST CAPERE CAPIAT.* Sanè equidem,  
cum eò eluxerit ut antiqua omnium Toparcharum  
figmenta & si aureis clara curulibus, & eburneis cur-  
ribus felicius vecta eius substiterint motu. Witelli-  
os vel potius Wedelios volo quorum nomen hucusq;  
transuetum quos non superarit, peritorum mitto iu-  
dicio. Caroli Magni ut sacri Imperij sic sacra inuoco  
vota. Miratur hic Wedeliorum præpotentem Bel-  
lonæ rotam, & suo comitatui adscriptâ, velut trium-  
phali per omnium hostium insultus deuehitur felici-  
ssimè plaustro. Sciebat quandoq; per hanc Maio-  
rum suorum fulta subsellia, ergo libens conquiescit  
eadem. In Saxones & Principem Windekindum  
mittit velocem. Horâ vnicâ dimensa ad primam li-  
neam eorum feram insaniam. Cumq; Gryphorum,  
Flamminiorum Comitum suorum stupore felicissi-  
mè ad vnicum motum efferam barbariem indice  
succidit. Digna perinde quæ vniuersæ Marchiæ ob  
Diurnos sudores victor hereditario iure præpone-  
retur. Sed quid Antiqua mordaciùs scrutor. Præri-  
pit palmam Doctus Aufonius Qui famosos omnium  
virtutū genere vocat Witelios; ego accepto sermone  
Patriæ dicam Wedelios. Arridet multum Antiquo-  
rum elogiis, tenax encomiorum vicina Germania,  
quæ et si tristi, dulci verumtamen PETRVM à Wedel  
TVCZYNSKI ad Clarissimos Bransbergenses Lares,  
cum vniuersa fortis lectoris Nobilitate celebrat  
epicedio.

*Qui*

*Hoc fuit  
Anno  
1596.*

Et infra.

*Qui se se penitus Deo dicauit  
Et natus Patriæ est bonisq; amicis.  
Quid Petri memorem decora facta  
In Diuos, Patriam, Domumq; claram.  
Hic natale solum & Lares Paternos.  
Gentem & Wedeliam suo parabat  
Ornatam dare posteris labore.*

Nec verita vocare. *Decus Ausonidum Patriaq; Columnam.*

*Hæc externa. Nostra nostris comprobare lubet. Patriam Carissimam inspicite, certo certius ea est amplitudo ILLVSTRISSIMÆ Sobolis eius, ut quisquis ille ex amplissimo sit magistratu ipsos olim Romæ ouantes supereret Dynastas. Et quotquot illis Imperatores tot nobis Senatores censere & recensere licet. Etsi exigua magna tamen ut animo sic fortunâ Sarmatia semper, nunquam maiestatem admirata. Romæ: Cum hæc haud adeo pridem vnius cum Asciano Assessoris eius satis non admiraretur. Et nisi sanctum quod ibi depositum credit recoleret Numen, nihil esset quod emendicaret. Idcirco eodundat taxat feliciorem deprædicat, quod ei desuper gratis datum iudicat. Ait illa clarior sua suis, Diuino auspice Numine, viribus parta. Quod si ita est. Loquantur liberius. CROMERVVS, DLVGOSSVS, CRANTCVS, Pomeraniæ fasti, & pacta cum Crucigeris facta.*

*NOBILES IN QVIENT WEDELIANI QVI NON MODO IN FIDEM ET SOCIETATEM REGNI POLONIÆ VENERANT, SED FIDELITER ATQ; CONSTANTER IN OMNIBVS ANTE ACTIS BELLIS PRO REGNO POLONIÆ MILITAVERANT, PRIUS SE VELLE MORI QVAM A FIDE ET SOCIETATE REGNI DESCISCERE QVM MAGNA EFFUSIONE LACHRYMARVM ADSTRIVEBANT. Currit velocius aureisq; notis signet encomia de Wedel Rota omnia supposita tenens: Cum & subsellia Consulum, & Palatia Ciuium, & Baltheos Equitum, & fasces Heröum felicissimè in nostro possederit regno. Mittat Epiphonema suave, cum & in Senatu perorare, & in Co-*

mitijs consulere, & in confessibus discernere, & Ter-  
ritorijs dijudicare, & in acie triūphare noscat. Anno  
1380 Sendiuojo Virio Castellano Bninensi gente  
Nałencio, & IOANNI CZARNKOVIO Iudici Posnanien-  
si, cum Czlopā à Suatiboro Pomeraniæ Duce, op-  
pugnaretur, Sulissium Wedelium T V C Z N A Domi-  
num suppetias tulisse firmissimè edocet CROMERVS;  
Adeoq; auspice dextera vt per eum soluta obsidio-  
ne Czlopā, hypothecæ nomine, annuente & stren-  
uitatem collaudante Lvdovico Rege, eidem cesse-  
rit Tributaria. Nec clades ad Choynecum à Cru-  
cigeris tanta fuisset (edisserit idem) si CASIMIRVS Se-  
renissimus Poloniæ Regum, IOANNEM CZARNKOVI-  
VM Castellatum Cnezuensem, & IOANNEM WEDELI-  
VM, cum quinque millibus lectoris Cohortis in sup-  
petias vocasset. Mitto alios aliò. Virginis hæc curâ  
Vide etiam fol.  
324. & methodo facta, quæ vndequaq; Sphærâ fortiori  
septâ regnare videtur. Non dico Sarmatiæ (nisi quis  
WANDAM eandem de Wedel asserat Virginem) sed  
antiquorum consopitæ Magnificentia. Hanc ad  
ASCIAM non aliam dicam nisi Palladem omnia fau-  
sta, ipsamque fortunam in Patria palantem. Et hu-  
ic ASCIAM coniunctam, Omnis gloriæ propaginem  
sufficiat dixisse.

Mirâ qualitate præditam habet cur admiretur Or-  
bis Vniuersus. Ferream si dices tantillum errabis,  
quantum si auream dixisses aberrauisses. Omnipo-  
tentis ferrum illud quod aliquando super aquas nata-  
re visum, immensum mysteriorum posteris fudit O-  
ceanum. Sed non in eo quia per latè diffusas tam-  
gentium quam populorum liberiùs agam Sapien-  
tiæ, scientiæ, eruditionis, strenuitatis, totque parti-  
um orbis ferebatur aquas. Nostræ ASCIAE est, San-  
guinem etiam gurgitantem hostium felici transme-  
are scapha: indeq; velut è profundo pretiosa dedu-  
cere

cere pignora, ita ut Vncinus depopulans maritimum  
Gazophylacium esse videatur. Clauam Herculis, ni-  
si maiori digna foret dextra, ipso etiam barathro  
horribilem in tot sacrosanctis Athletis nemo non  
asserat. Optimè hanc ad diuersissima rupium Saxa,  
immò Caucasea hostium pectora occasio & tempus  
exacuauit, ipso acuminis perterriti aspectu velut fal-  
ce succisa grama quotquot obstabant cadere vide-  
bantur. Duras & efferatas ceruices magneticō im-  
butas furore velut mollia rumpebat fila. Nouerat  
ut fama est quondam Alexandri ferrum Gorgoneos  
dissoluere nodos, sed Appollineo fultum Oraculo  
non tam potens quam auarum Imperij Nostrum.  
longè splendidius, solo Sacræ religionis incendio,  
Patriæ amore, Amicorum solamine, vicinorum sub-  
sidio *OBSTANTIA SOLVERE NATVM.* Splendorem eius si  
quæreris? Ille est: quem si Cœlestibus iungeres pigno-  
ribus vnum ex illis iure optimo existimares: adeò  
continuo perpolitum vsu, ut speculi instar inumeras  
refundat species. Flagras humanarum Diuinorumq;  
virtutum studio? ASCIAM pete harum ibi releges ico-  
nem. Fulget partem vnam versus. *AVTKMNVS VIRTU-*  
*TVM.* alteram, amoenissimo colorum nitore omnium  
*VER ANNORVM.* arripit animos. Manubrium eius illa  
Platano ductum, quæ maximi Principum luxerat  
quandoq; spolijs ex hoste relatis. Illa Platano du-  
ctum, quæ in Libano sata quò sublimius eò altius re-  
nidet. Hic *TRPVS ET CIPPVS* Bulgariæ Cremonensis è *Sarcophago* prosilientium mirè Surculorum, quorum *TYPO.*  
alter Pacis, alter virtutis, alter æternitatis fraganti-  
am spirat. Manibus pedibusq; in eius sententiam ibo,  
si quis dixerit triumphali progenitum lauro, quod  
nullo fulmine eo usq; læsum, tot Regum decorauit  
triumphos, Heroū vestiuit applausus, & felici omne  
Calendis Ianuarij Tuis maioribus datum, nunquam  
non

non Diuinum quid referre visum... Cernite quām di-  
urno iam attritum vsū, non plus decoris quām labo-  
ris desudat. Sarcimina miro ordine texta assiduitatē  
vigilantiæ, pallor Diuini exercitij æstum, exasciatio-  
tot ictus quot usus edisserit. Suo tamen non con-  
tentā fulgore Horarij ingreditur Rota, forsitan in  
viuacissimo quos aliquando egisse studuit relectura  
circulo sudores, & claros mensura splendores. Her-  
culeum ferrum, perfecti orbis perfectissimum, appe-  
tit centrum. Vbi melius ire per medium, & fortius  
hostium rumpere præcordia discat. Quis Eminentissimi  
subsellij mitras, Serenissimæ maiestatis Togas,  
Inuictissimæ Palladis Baltheos, verum veri Amici tha-  
lamum & immortalitatis trophæū non ingredetur?  
Posuerat quidam vnitati in circulo sitæ Philosophi-  
cum Lemma, *PERFECTVS AMOR NON NISI AD VNVM.* Quid  
nisi immortale, & immobile, quod petijt ASCIA. Diu-  
percunctanti peruerustam venustatē Virginis à We-  
del imbecillitas fandi præsto semper fuit, ipse enim  
quo nitidissimè præfulget concolor habitus ignauum  
encomiasten graui perfundebat rubore. Virginē ma-  
nib⁹ truncam Ducali tamen conspicuam bysso quis e-  
differet? Virginem virgineo perfusam rubore Causiā  
tamen Cardinalitiā ouantem miraculum potius quām  
materiem encomiorum quilibet censebit? Loqui li-  
cet breuius quod diuturnius percunctari haud licuit.  
Sapit maiora se ipsa actiuitatis sphæra, vt non virgi-  
nem in ea sed omnium copiarum fontem dicere ipsa  
rei magnitudo poscat. Ex hac peruerusta Rota & E-  
minentissimi Cardinales, & Serenissimi Principes, &  
Illustrissimi Equites, & Cataphracti Herœs quo pro-  
dierint, ipsa sui specie subdit. Legit Ausonia pertot  
temporum spatia in hac rota Gnomonis altioris non  
adumbratas fuso incisuras, sed cum pondere graues  
plures quām horas relegit Athletas. Horarij rotæ Ma-

gnatum communius inuisere Palatia, illustrare subsel-  
lia, instruere mensas, oblectari ingenia, norunt Illæ  
regimina vrbium, Columnæ exercituū, solamina iter  
agentium, Duces & Reduces nauigantium. Animam  
corpus agere dicimus dum Rempub: aut viatorem his  
absq; delitescere sentimus. Et eò magis arripiunt a-  
nimos quò apti<sup>2</sup> idex arriserint humanæ, vnde si quid  
simile redolere videm<sup>o</sup> æstuanti quodammodo rapi-  
mur studio quo adusq; etsi carissima modo chalissima  
tenere possimus. Nemo est qui non cæco feratur im-  
petu *DONEC TENEAT OPTATA*. Honoris & vtilitatis audif-  
fima corda per ferrum & ignes, montes & cespita non  
durum peragrare ducunt si honoris porrigatur pign<sup>o</sup>.  
Libens ego ad Virgineam aio de Wedel rotam quod  
liberiūs quidam ad suā cecinit *FOVET ET ORNAT*. Trun-  
cam manibus non sperne, repellere nescit nisi cornu-  
tos extra recti sphæram. Prona in omnes *ET FOVET*  
*ET ORNAT*. Triumphant tot LECHI Dynastæ ad hoc in-  
signe sanguinis penicillo signati, quos lumina potius  
Olympi quam Sarmatiæ proceres dices. Illi in-  
quam *ZBOROVIJ* quorum nomen in postuma tem-  
pora eò altius quò generosius aliquando stetit. Illi *O-*  
*PALINSCIJ* Aurei velleris Magnanimi lazones. Illi *FIR-*  
*LEIJ* cum Leopardo non prius aduenæ quam Patres  
Patriæ nunquam non Polonici Athlantides Orbis.  
Illi *LESZCZYNIJ* quorum vt Primatum innititur capiti,  
totius Reipub: moles. Ingreditur ergo hanc Virgineā  
Domum *ASCIA* Tua *ILLVSTRIS & MAGNIFICE DOMINE*  
*vt laboriosa* *PRETIVM NON VILE LABORVM*. *POST TOT DI-*  
*SCRIMINA* tandem lucecere datum In Auge. Enim-  
uero nolens volensq; Astrologorum sequor iudicium  
qui *ASCIAM TVAM* vt ferro insignem Martis esse vo-  
lunt: socium appetit sidus. vt *VTROQ; SIT CLARESCERE*  
*RYLCHRYM*. & nouum aliquando renascatur Sarmatiæ  
siciuncto fidere Clima. Non vacuus esse Hariola

volo quia caput quod Virgini præst̄ iam posuit præ-  
xim, cuius Cornucopiarum nec LECHVS ipse satis admirari, nec postuma enumerare valebunt tempora.  
Nōn vacuus vates esse volo quia quæ præmanibus e-  
iusdem fortis teneo pignora, non alia spirando spe-  
randa promittunt. Ingredere felix Tuam ASCIAM  
noua hic manet *QUALITAS, SIC FASCIATAM.*

Valor eius non meæ censuræ pretium. Caro  
valet quod tantum valet quantum omnibus præ-  
ualet. Ponderare si vellem, alterius Orbis quæ eius  
capiat gemmea pignora frustra attentarem lancem.  
Non facile appretiatur quod omnia appretiat, nec  
ponderatur quod non mensuratur lamina ponderis  
appretiante. Emetitur hanc Otomanicus hostis, suo  
perspicuo appositam sideri sed quantum haec distat ab  
illo, quod unico glebae perfusum atomo splendorem,  
quodq; hinc sequitur pretium appretiatum amittit:  
haec nullam unquam passa est Eclypsim. Raram sub  
sole finitimæ censuerunt Gentes, ergo ut caram sem-  
per veneratae. Magni Vitruvio teste habebatur quó-  
dam ASCIA illa quæ valorem inquirebat Calcis. Su-  
matur ASCIA inquit & quemadmodum materia sic  
calx in lacu ascietur macerata &c. si siccum & purum  
ferrum educetur indicabit eam euaniam, si pin-  
guis fuerit circa ferramentum, uti glutinum haerens.  
Haec artificum experientia. Non calcis sed Cænos  
Barbarorum sanguinis mensa pinguedinem ASCIA  
Tua nunquam sicca & pura educta, circa ferramen-  
tum quot guttas tot hostes gerens inharentes. ergo  
suo se ipsam prestat valorem. Ad Latus Virginis Rotæ  
circumscriptæ *MULTO PRETHOSIOR AERO:* quia utrinq; sunt  
*PIGNORA CARA.* Tulerat quondam por nemora ere-  
mosq; Cæsarco insignita orbe faustissima Dama pre-  
iosum pignus concinens gratulabundè *HOC ME CÆSAR*  
*DONAVIT.* Subsistens ASCIA Tua inter Latra Rotæ non  
aliam

aliam lœta auscultabit, nec latiori cariora prædicabit  
ictu quia Cæsareo diademate cincta, munificum-  
sibi inditum pignus Congratulabitur. Felix aliquan-  
do Roma superbo radiabat auro, micabat gemmis,  
reucebat metallis, ubi è lateritia facta est aurea,  
sed ne vestigia Pompæ ad nostra delata tempora, ma-  
net multo pretiosior auro ASCIA cum fascibus Rotaq;  
cum Virgine, quæ multas peragratæ oras, mordaci  
gloriæ inhæserunt vestigijs, illis nunc primum gaude-  
re videtur, ut non immerito protulerit quidam HÆC  
LATIO RESTARE CANVNT. Et nisi Sacrosanctos Romæ ve-  
nerarer Lares, Gazophilacium LECHI quod tanta cō-  
tinet pignora Latium vocarem, quia aliò transplanta-  
ta collaudat. Nil pretiosius libertate dicit rerum cō-  
geries, hanc ad liberiores Rotæ incisuras propagare  
venit Virgine Præside ASCIA Tua, Immensum ergo  
capit vtrinq; valorem.

Sed meridiano affundo splendori fulgorem. Lu-  
ce clarioravbiq; sunt quæ hactenus tenaciùs ingemi-  
nata. Quare coronis ipsius naturæ tramite currit  
Ad tam felicem ROTÆ HORARIÆ ingressum, & felici  
Virginis Consortium ASCIAM Tuam fore perennem.  
Ex primo orbis exordio numerabat sui primordij ge-  
nus & ad prophasim Sarmatiæ iam cum LECHO & ME-  
CISLAO idolorum succidebat lucos, ergo immortale  
quid petit: Suorum laborum perennem positura  
Corollam. Æternitatis ipsiusq; Diuinitatis iuxta  
Ægyptios & nunquam marcescentis ætatis subintrat  
Symbolum sic ac clangente & acclamante solido per  
horas horarij Cursu. NEC QUIESCO NEC LASSOR IN AEVVM.  
Hæc Tuæ Vitæ mortisq; Comes. In prosperis & ad  
uersis solatum. In periculis subsidium, In lapsu fir-  
missima basis. Currebat eò usq; felix ut NULLA SINE LI-  
NEA HORA transacta degeret. Velocius approperebit  
in ipsam post fata Æternitatem, ubi affutura quæ li-  
neam

Docent  
quidans  
quod n.e.  
talla fint  
cure te-  
ra condit  
ta.

neam propagabunt Domus in Nestoreos soles, pro-  
feret Lineamenta. In His Plato Philosophare, Tybe-  
rius imperare, Eduardus regnare, Orbis triumphare  
in æuum contendit. *HIC FELICITAS TEMPORVM*, PHILLIP-  
PI Secundi Regis Hispaniarum incipit. *PERPETVITAS*,  
ANNÆ Reginæ Vngariæ exorditur. Laurea Corona  
Renatæ Lotharingiæ, immo Cor vnum & anima vna  
virescit. Margarithæ Lotharingiæ vires roborantur.  
ISABELLÆ Vallesiæ *IAM FELICITER* Omnia propagantur.

*Roderi* Experieris sideribus excipiendam, EDWARDI Anglo-  
*cus, San-* rum Regis fortunam, qui cum in itinere ad Sacrum  
*cius in* Sepulchrum suscepito notabilem plagam venenato  
*Histor:* gladio Mauri accepisset inflictam, eius Coniux ma-  
*Hispan:* nantem quotidie ex vulnere mariti purulentum so-  
lius melle Conditum Amoris lingebat humorem,  
vnde illi sanitatem sibi immortalem Coniugali amo-  
re gloriam peperit. Experieris Gabellinensium sub  
HENRICO sortem quos humeris suis, Coniuges ex  
truculenta obsidione velut monilia collo affixa  
hilariter exportarunt. Hoc Carpento rotæ, per me-  
dios deueheris hostes, Hoc numerabis diurni laboris  
victimas, Hoc tuam Solaberis vitam. Prona Tuos  
vt inermis currit in aplexus. Ingredere felix, me-  
tire tempus quo Tua viuet vigebitq; ASCIA. Appen-  
de tantum, ponderi consulens, vt velocius currat,  
Domus Tuæ insigne: leges & releges in ASCIA  
sic FASCIATA, & miram Naturæ gloriam.  
Et sublimem rei splendorem, & immensum,  
laboris pretium, & inaccessam temporis  
Æternitatem. Fiat fiat. quod gratu-  
labundi volumus & vouemus.

D I X I.

